

C. Schüller.

De remediis
suspensivis
etc. W. 1751.

1978

L

1219

Otp

2

DE
REMEDIIS SVSPENSIVIS
IN CAVSSA SCHOLASTICA
CONTRA
PRAECOCES ACADEMICOS
DISSERIT

ET AD
AVSPICATISSIMVM NATALEM EVMQVE
SEXAGESIMVM PRIMVM
CELSISSIMI COMITIS AC DOMINI

DOMINI
CHRISTIANI ERNESTI,

SACRI ROMANI IMPERII COMITIS,
COMITIS STOLBERGAE KOENIGSTEIN ROCHEFORT WERNIGE-
GERODAE ET HOHNSTEIN DYNASTAE EPSTEINII MYNZENBERGAE BREV-
BERGAE AIGMONT LOHRAE ET CLETTENBERGAE,
EQUITIS MAGNI ORDINIS BORUSSICI AB AQUILA NIGRA NUNCUPATI CETERA,
COMITIS AC DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI

DIE XXI. APRILIS CIO 10 CCLL.
AB HORA OCTAVA MATUTINA
IN WERNIGERODANO ARTIUM COLLEGIO

DECLAMATIONIBVS NONVLLIS
INTER PIA VOTA RELIGIOSASQUE PRECES CELEBRANDUM
INVITAT

HENRICUS CAROLUS SCHÜTZE,
RECTOR.



Wernigerodae, excudit I. G. Struck, typogr. aulic.

Yb.
256.

56

LIBRARIUS 2 VASCO DE GAMA

LICENCIATI SCOLARIS LIBRARY

CORTINA

DEAHOOGES AGEDHICGOS

SCHERST

CATE

ARCHICLASSIA MATHIAS LUMOMA

SCHEHERAZADE TURKISH

CHALMOS OF THE RIVER COOK

DOWTIN

CHRISTIAN KIRKIN



78 L 1219

AK

76

Urgent

HENRIKUS OOMBERGUS SOLVIT

URGENT



A. D.



Et apud nos Teutones, et apud cultiores exteris nationes academiarum numerus deprehenditur magnus. Longe maior est inferiorum scholarum multitudo, eaque augetur quotidie. Eorum, qui in litterarum studia incumbunt, caterua est maxima. In tanto tamen agmine eorum, qui litteris nomen dant, pauci sunt, et pauciores in dies sunt, qui excellenter aliquam aut ecclesiae et patriae negotiisque publicis vtilem nanciscuntur eruditioinem. Vetus haec est et communis sapientiorum querela. Si enim doctrinae sacrae professoris in academia munus vacat, quot et quantae instituuntur principum et curatorum academiae deliberationes! quot consultationes! Per annum saepe et plures eiusmodi munus manet vacuum. Huc illucue scribitur, donec et quidem difficulter excellentis doctrinae vir reperatur. Eadem est sollicitudo, si iurium aut artis medendi, si mathefeos et elegantiorum disciplinarum doctor et professor requiruntur ordinarius. Ex uno in alterum Germaniae euocantur circulum exactae eruditiois viri. Exteri ex Germania, et principes Germaniae ab exteris magnis praemiis ac pollicitationibus eximiae eruditiois viros expetunt, deducunt arecessuntque.

A 2

§. II.

§. II.

In cauſas paucitatis huius et penuriae in orbe litterario ſi inquirimus, nec paucae illae ſunt nec exiguae. Plurimi, qui litteris nomen dant, pietatem et deuotionem erga ſummum numen cum litterarum ſtudio non coniungunt. Negligunt plane ſapiētissimum Deum et ſoterem noſtrum Iefum Chriftum, fontem ſapientiae curatis implorare precib⁹. Sunt etiam inter artium ſtudiosos multi, qui hebetis et ad ſtudia minus apti ſunt ingenii. Sunt ali⁹, quorum profectibus anguſta res domi obſtat atque officit. Sunt denique alii, qui litterarum ſtudia negligenter tractant et confufe. Ingens vero etiam eſt multitudine eorum, qui ſtudiorum felicem curſum turbant et interrumpunt nimia ad academias, quas vulgo vniuersitates vocant, festinatione.

§. III.

Nimia festinatio, quae multorum malorum foecunda mater eſt, ſi in artium cultoribus eam deprehendis, ex imaginaria eruditio- ne oritur plerumque. Feralis haec in ſcholis eſt peſis. Vbi pu- erulus in ſcholam traditur, parum ſaepe abeft, quin obtineat illud: trado tibi belluam, vt reddas mihi hominem. Aristotelis tabu- lam rafam repræſentat ſaepe iſſime. Polyphemus ſimilem credide- ris, cui lumen ademtum. Immensus igitur requiritur labor diſ- pellere eam inſcritiae caliginem, et tenello primas inculcare veri- tates. Sed elementa grammatices vix didicis, cum multum ſe didi- ciffe credit. Coactus interim ſcholam frequentat; imaginaria vero eruditio crescit et glificit. Hinc, ſi quae cepit cognitionis augmenta, pro complementis ea habet. Prodit nunc ſuam animi ſtultitiam. Ad ſuperiores claſſes traduci cupit. Cum noui coloni ad claſſes ſuperiores mittendi ſunt, primum ſe ac praecipuum co- rum, qui traſportatione digni ſint, iudicat. Hoſi niſi fit, maxi- mam fibi fieri iniuriam putat. Non raro etiam parentes conque- runt pueri excitatiſſimam ſupprimi indolem,

§. IV.

§. IV.

Translocatus deinceps ad primam classem consernit sumum scholasticae dignitatis fastigium. Papae ! quantos nunc sumit spiritus ! Aesopicæ ranae instar intumescit. Audit quidem lectiones magistrorum ; non vero, vt scientiarum fundamenta iaciat ; sed vt maiorem tantummodo acquirat perfectionem, et coronidem studiis suis imponat propediem. Quia etiam arrogantia cum ignorantia coniuncta est, se praecceptores inferiorum classium si non eruditione superare, illa tamen iis parem esse, existimat. Seueros de reliquo eos, plagos et umbratiles appellat.

§. V.

Vix annum exegit in hac classe, et exiguo modo sumisit doctrinarum auctus, cum iam abitionem ad academiam meditatur. Licit singulis minimum mensibus Prisciano adhuc caput frangat ; omnes tamen canones se intelligere grammaticos, totamque puerorum crucem se plene habere cognitam et latine doctum se esse iudicat. Si Cornelii Nepotis, si Iulii Caesaris libros, si Ciceronis epistolarum libros et orationes aliquot perlegit, totum eruditum Latium se permeasse credit. Sarcinas ergo iterum colligit, ac eruditum iter implumis parat. Quossum ? Ad altiora. Scilicet in aedificiis tecto ambulare vult ; per scalas tamen ascendere recusat. Incitant eiusmodi iuuenem parentes saepe et cognati, qui ad suprema disciplinarum penetralia velocius eum inuolare iubent. Faciunt hoc saepe ea de cauſa, vt eo citius domum reuertatur petiturus honores, elapsuros forsitan, nisi praeoccupentur. Si forte mensam liberalem aut alia beneficia accipere potest, abitum suadent parum curiosi, aptus sit ad academicâ studia nec ne. Praeceptores haud raro iuuenum ambitioni et praecepiti parentum spei velificantur, vt simul suam dexteritatem et industriam in erudiendo filio demonstrent.

§. VI.

Sed ex variis caussis profectio impeditur. Indignabundus ergo in posterum academiae candidatus scholam tamquam pistri-
num ingreditur. Licet linguae latinæ non adeo peritus sit, ne-
que habitum aut facultatem in dicendo scribendoque latine ac-
quisuerit: humanitatis tamen studia lenius tractat aut properanti-
us transcurrit. Historiam sacram ab infantia satis se audiuisse ar-
bitratur. Vniuersalis historiae conspectus puerorum iucundum
spectaculum aestimat. Fabulas e diuerso paganorum, fictas ro-
manenses narrationes, immo delubrum pantheomythicum, placet
ipſi magis. Orbis terrarum faciem nondum contemplatus est satis.
Neque antiquam neque nouam geographiam cognouit dili-
genter; relationes tamen publicas, qualcunque conquirere potest,
legit omnes. Vastum eruditionis campum neutiquam est per-
mensus; sed, vt ita dicam, in limine vix substitut; historiam ta-
men litterariam pro saeculi huius more in deliciis habet. Ephe-
merides litterariae et societatum scientiarum et alia menstrua scri-
pta voluit et reuoluit. Matheſeos doctrinas, certissima illa vitæ
communis commoda, tamquam subtilitates inutiles tricasque con-
temnit. Rhetoricas lectiones et chrias, vt per contemtum vocat,
scholasticas irridet: licet ipſe numquam oratiunculam eiusmodi
composuerit, et oratio valedictoria, quam proxime conſcribet, aut
recitatib[us] faltem, prima forſitan fuerit et in toto vitæ curriculo
vltima. Humaniora, vt paucis multa complectar, studia spernit,
spernit et doctores. Famam eorum arrodere et multa in eorum
scriptis cauillari in praecipuo habet negotio. Sordent illi omnia,
quaे scholam redolent. Subſellia scholastica, in quibus fessitaurit
nimis diu, incaleſcent. Auolat ergo ephebus infirmis, vt Icarus,
pennis. Praeceptores, quibus molestiarum satis creauit, proſe-
quuntur eum, si non bonis omnibus, certe bonis votis ac pre-
cautionibus.

Felicem interea ſe iudicat ipſe, qui ergastulum, vt con-
temtim loquitur, euaserit.

Eſt haec communis criminatio eorum, qui disciplinam
scholasticam perferre nolunt, vt de nimia ſeueritate conquerantur.

In

In nostra schola nemo duriter tractatur, nec diutius, quam par est, detinetur quisquam. Si qui alibi sunt, qui hoc faciunt, faciant suo periculo. Inter tamen ea non sumus soli, qui hac de re querimoniae ciemus. Pleni sunt his querelis doctorum viorum libri, plenae professorum academicorum voces, plena ora ecclesiastarum ac provinciarum praefidum. Nec quaestus causa iam a nobis instituitur questus. Quamquam enim per infundibulum scientias infundere nec volumus nec possumus: numquam tamen hucusque et auditorum et discipulorum nobis defuit numerus, pro nostro loco et conditione satis magnus. Indolemus tamen malis illorum, qui ita faciunt, et crudi ac rudes in sic dictas vniuersitates irruunt. Properationem hanc suam sera poenitentia et votis pensabunt nil profuturis.

§. VII.

Sermo nobis in his pagellis omnino non est de ingeniiis praecocibus et felicioribus. Ad magna nati sunt illi homines, ad magna tendunt. Heroes illi ingeniiorum, et reipublicae litterariae principes simul sunt plerumque. Hos excellentis et capacissimi ingenii et eruditio*n*is solidae profectu praestantes iuuenes carpere, a feliciori studiorum cursu retrahere, et diutius, quam par est, in schola detinere, nemo prudens debet, nemo bonus volet. Inter praecocia illa ingenia saeculo decimo sexto eminuit poeta Italus *Torquato Tasso* ac *Jacobus Mazzoni*. Annales superioris saeculi memorant nobis *Hugonem Grotium* et *Danielem Heinsum*. [*] Hoc nostro saeculo floruerunt et adhuc florent eiusmodi viri velocitate et felicitate ingenii percelebres. Possem et quosdam praecocis felicissime ingenii viros, qui ex hac nostra schola prodierunt, nominare, nisi et ipsorum et cognatorum eorum modestia id prohiberet.

§. VIII.

Sed videamus, vbi haereat velox peregrinator academicus.

Ad-

[*] *Plura eorum exempla adfert reconditae olim vir doctrinae Dan. Ge. Morbo-
fius in polyhist. litt. T. I. L. II. C. VIII. §. LIII. seq.*

Aduenit in academiam. Sunt omnino in academiis artium virtutis et sapientiae templa; sunt ibi sublimiorum artium mercaturae. Sed quaenam ibi nouus ciuis emat, nescit. Emit inutilia, certe nondum necessaria. Idem agit, ac si puerulus in nundinis emat conspicillum oculorum in senectute subsidium. Si academiam ingreditur eiusmodi iuuensis, adit professorem de studiorum methodo et ordine consulturus. Si hic cordatus est vir, indicat ei, quae studia primo loco tractanda sint, quae secundo loco. Gratias agit nouus ciuis pro datis consiliis, quae tamen sequi nec vult, nec pro statu suo potest. Quae enim in schola clasica neglecta sunt, in academia resarciri non possunt. Rediturum se professori pollicetur. Sed redit numquam. Suo nunc rem agit arbitrio. Nec coelestis sapientiae nec cordatisimorum virorum dictum sequitur. Quia in nulla artium liberalium habitum acquisiuit, citissime penitus obliuiscitur ea, quae in schola didicerat obiter. Hinc vtiusque fundi calamitas. Peruagatur porro quotidie auditoria professorum, audit recitationes doctorum publicas et priuatas; sed eas non capit. Facundissimus ille Patauinus orator *Oethanus Ferrarius* facete admodum eiusmodi hominem depingit [*]: *quid inde consequatur, ait, pudet pigetque referre.* Primum omnium, ubi academiam ingreditur, puerat se in alium terrarum orbem delatum. Professores audit, nec intelligit, mox culpam in ipsis regerit, ait, obscuros esse, ac salebosos. Nimirum ut vetula illa apud Senecam, cum per aetatem duriori aure facta esset, querebatur, malum morem incessisse, quod homines submissius loquerentur; ita bi mentis virtio coecutientes obscuritatem professorum arguant. Hinc desperatio oritur, vt, quod non intelligunt, condemnent. Desperatio, de qua laudatus auctor loquitur, eum facit porro recordem ac dissolutum, ut ad compotationes, commissationes ac fratribus se proripiat. Saepius tamen accidit, vt, quia, quod non intelligit, contemnit condemnatque, superbus fiat, cristasque tollat altius. Se illos tenebriscosos, si nulla alia in re, certe perspicuitate in docendo, superaturum esse putat.

S. IX.

[*] *Prolus. VIII. de cauiss pereuntium litterarum p. 98. edit. Wolffensbüttel.*

§. IX.

Se igitur nunc manum operi admouere debere autumat, ut
damna in republica litteraria resarciantur. Lumen alii affunde-
re conatur. Chartas suas eruditas, vt putat, agminatim prelo
subiicit. Praemature cogitat, praecipitanter iudicat, festinanter
agit. Monstrosarum opinionum fit sartor satorque audaculus. Pa-
laemoni fere similis est, natas qui secum et morituras credidit lit-
teras. M. Fabius Quinetilianus lepide inuenustos eiusmodi ho-
mines perstringit [*] nihil plus, inquit, illi agunt, quam si dent
operam, vt, dum stultis videri eruditis volunt, stulti eruditis vi-
deantur.

§. X.

Sed in academia videt piectam suam et fictam eruditionem
non adeo aestimari. Relinquit ergo academiam, vbi proficere po-
tuisset, nisi se iam profecisse putasset. In patriam aut alias regi-
ones remigrat, ibique proletariam suam eruditionem propalat.
Parentes et cognati haud raro eum reuocant, et ad cathedras aut
tribunalia variis artibus si non perducunt, destinant tamen. Nullo
vero eius hoc fit bono; publico saepe malo. Quae enim in aca-
demii neglexit, ea nunc in anguitis versans conquirere debet
stupendo labore et cum valetudinis detimento, Coram tribu-
nalibus de bonis, saepe etiam de vita hominis agitur. Quomodo
imberbis de rebus grauissimi momenti iudicium facere et intricata
ciuium lites dirimere nouit? Si theologiae nomen dedit et su-
um cursum, vt aiunt, theologicum, ita perperam et quasi in trans-
cursu absoluot: nequaquam ad grauissimum illud ac arduum
munus interpretandi oracula coelestia aptus erit. Medicorum
errores terra quidem, vt in prouerbio est, tegit; si tamen
artis salutaris cultor admodum adolescentulus cruda sua studia
ad nosodochia et lectum aegrotantium propellit, morbos dispel-
lere aut labantem aegrotorum sanitatem fulcire neutiquam poterit.
Detrementum hinc respublica capit maximum.

B

Sed

[*] in insit, orat. L. X. C. VII.

Sed fatis querelarum. Dispiciendum nunc erit, qua ratione huic malo mederi possimus. In principio huic obstare debemus malo, ne, si inueterauerit, nimis sero adhibeantur remedia.

§. XI.

Remedia, quae hunc in finem proponimus, vocare libet suspensiua. A iureconsultis hoc vocabulum mutuati sumus, nec, nisi per accommodationem illud nostrum facimus. *Remedia suspensiua* illi appellant ea, [*] quae sententiam quidem a viribus rei iudicatae suspendunt; causam tamen coram eodem iudice relinquunt. Eiusmodi remedia sunt, declaratio, leuteratio, overlentatio, reiectionis leuteratio.

§. XII.

Primum *remedium suspensiuum* meo quidem iudicio foret *maior classificatio*, vt minus latino vocabulo utar, hoc est, *si plures constituerentur classes in scholis et gymnasii*. Iam ex aliis caussis valde commodum est ac vtile, plures habere ordines eorum, qui doceantur. Non impedituntur hac ratione proiectiores ab ulterioribus progressibus. Nec incipientibus tradi debent difficiliora. In hoc tamen negotio constitutio plurium classium *magnum* habet momentum. Parentes saepius a scholarum rectoribus vehementer postulant, vt natum in altiore classem collonent. Si hoc non facit rector, asperis dictis eum increpitat pater aut mater, vel alia ratione molestiam creat. His parentum quantumvis iniquis et ineptis postulationibus magister quodammodo gratificari potest, si plures sunt ordines. Multiplicatio classium prohibet simul, quo minus puer praecipiti festinatione irruat nimis cito in superiores classes; sed sensim detineatur. Egregium quid hac in parte habet paedagogium regium et schola orphaniotrophei Halensis. Per loci opumue rationem in dies adscisci possunt ibi praecipentes classium noui. Laudabile eiusmodi institutum deprehendes etiam in coenobio Bergensi et in locis perpaucis aliis

[*] vid. Boenigks practica practicata, p. I. C. 28. p. 93.

aliis. Sed quia in fraudem legis, ut cum iureconsultis loquar, agunt ibi etiam iuuenes et saepe ex secunda vel tertia clasfe maiore abeunt, huic remedio non immorabor amplius.

§. XIII.

In praedicandis etiam laudandisque puerorum ac iuuenium profectibus omnem sincerus doctor scholaisticus adhibere debet cautionem. Laudis et gloriae studio mortales trahuntur fere omnes. Neque sua laude defraudandus est quisquam. Veritatis vis hoc exposcit, amor iubet. Immo plurimum, vt Cicero ait, [*] *in excitando et acuendo valet, si laudes eum, quom cohortere.* Egregit mores, ingens industria, obedientia ac aliae virtutes pueri et iuuenii laudibus ornentur necesse est. Sed parce, sed caute id fiat et circumspecte. Abutuntur facilissime ea laudis praedicatione parentes, facilissime abutuntur filii. Parentes abutuntur ea, quando praecepiti festinatione filiorum profectus corrumpunt. Filii, quando prolabuntur ad fastum scholaisticum. Fastus enim scholaisticus, quem paedantism vocant, perperam et iniuste tribuitur solis doctoribus. Hi quidem non omnes liberi sunt ab hoc vito; apud discipulos tamen superbia se ostendit magis et quidem ridicule. Praua saepe ibi est aemulatio, stolida ambitio. *Magistri proinde omnem debent curam adhibere, ut arrogantia infringatur deprimaturque.* Si igitur quidam scholarum moderatores in scriptis publicis et programmatibus discipulos invidenis prorsus ornant vel potius onerant encomiis, considerent, an non ambitionem foueant, quam suffocare fas foret ac perutile. Discipuli saepe e cancellis, vt illi vocant, scholaisticis emissi bonum malo pendunt, et doctorem vituperant criminanturque.

§. XIV.

Nec adeo properare debet scholae moderator translocando tirunculum ex una in alteram classem. Radices agere debet tenellus in qualibet artium liberalium parte. Quae cito fiunt, cito

[] Cic. L. XV. epist. XXI. §. VII.*

pereunt. Quemadmodum ergo naturā non patitur saltum; ita scholae doctor, qui naturam et rationem sequitur, non debet in hoc negotio agere festinanter. In classe illa, ubi traduntur paradigmata declinationum et coniugationum, tam diu detinendus est puer, vsque dum adeo sit exercitatus, vt ad interrogationem ex cuiuslibet paradigmatis parte illico respondere possit. In sequenti ordine tantam sibi exercitat acquirat habilitatem et promptitudinem necesse est, vt nomen substantiuum aut verbum ad formam declinationis vel coniugationis sine haesitantia formare possit. Traductus in eum ordinem, ubi audit rationem, distinctiones recte inter se componendi, vt animi sententia intelligatur, non statim emigrare, sed paullo diutius, quam in antecedenti classe commorari heic debet. Multitudo obseruationum id requirit. Quocunque nomine veniat classis illa, ubi adcuratori industria integrum grammatices compendium pertractatur, et bonae notae autorum lectionis fit initium tironem ibi diutius manere debere quis non videt? Minutiae ibi proponuntur grammaticales. Cortices tameri frangendi sunt ab eo, qui nucleus esse vult. Quintillianus iam olim pronuntiavit: grammatica est liber studiis salubrior quam dulcior. Molestum quidem est frangere cortices; suo tamen tempore adfert dulcem fructum. Vbi e diuerso quis hoc negligit, sentiet verum esse, quod veteres in proverbio dixerunt: *grammatica est animal morosum, vindicans contemtorem sui.* Phrontisterium vero illud, ubi bonae notae autores explicantur fusius, industria litterarum cultoris vberiorem requirit ac diuturniorem. Belle ac sapienter ergo in nostro artium domicilio a venerandis ephoris ordinatum est constitutumque, vt per duos annos tertiae classis discipulus continuo ibi maneat. Totidem anni secundae classis cui adsignantur. Prima classis ex mente eorum tres sibi vendicat annos.

§. XV.

Classici autores non fuerunt homines de schola, eorumque libri scholae classibus tantum destinati. Leguntur quidem a pueris et iuuenibus, vt vocabulorum significationem, verborum co-

piam

piam et loquendi formulas inde excerptant; sed ideo non dicuntur classici. Nuncupantur ita a pulchritudine et praestantia praealiis. In censu Romanorum fuit enumeratione populi cum aestimatione facultatum sex constituebantur ciuium classes. Prima classis, quae erat ditisimorum ciuium, hoc est, CM aeris habentium, proprie et per eminentiam classis dicebatur. Ciues eiusdem appellabantur classici. Optimi idcirco hodie puriorisque latitudinis et virilis eloquentiae autores vulgo dicuntur classici. Latini scriptores non fuere homines obfuchi, vmbritates, pauperes ludimagistri; sed viri illustres, summi status ministri, imperatores bellici, consules, legati, prouinciarumque praesides. Hi in eminentiori dignitatis gradu constituti sublimius cogitabant, acutius loquebantur, acrius scribebant.

Hac de causa in antecedentibus saeculis omnes eruditii in legendis scriptoribus latinis seduli fuerunt. Vastissimae olim eruditionis vir Hugo Grotius ipse fassus est, se ex oratoribus latinis, veteribus historicis, immo, quod mireris, ex poetis suam haufisse iuris naturalis ac consuetudinum populorum notitiam. Iulium Caesarem itaque aliter legit puer, aliter historiarum et antiquitatum professor, aliter illum legit olim Eugenius Sabaudiae Dux. Ex Tacito primae clasvis alumnus phrases et verba et historias discit, politices studiosus inde sibi sumit prudentiae regulas. Olim studiosi tardius ad academiam abibant; nihil tamen secius eloquentiac et poeseos professores in academiis prorsae et vorsae, vt cum Aufonio loquar, orationis autores explicabant. Hodie non ita. Neutiquam ergo horum scriptorum studiosi lectionem eorum in annos academicos differre debent. Quod hac ratione differtur, aufertur. Quis vero hodie in schola legit Senecae philosophi de prouidentia, de vita breuitate, de animi tranquillitate et reliquo libro? Multi, qui scholam relinquunt, nesciunt Ciceronem praeter epistolas, orationes et de officiis libros alia quaedam scripsisse. Ignoti plane illis sunt libri Tusculanarum quaestionum, de legibus, de diuinatione, et de finibus bonorum et malorum et reliqua. *Commodum itaque ac perutile erit, si scholae doctorarii cultoribus scripta veterum nota facit laudatque, ac rsum*

B 3 1909 March 6th into at illorum



illorum monstrat. Debent illi sententiarum acumina, civilis prudentiae regulas, vitiorum et virtutis exempla sibi excerpere. Idem etiam obtinet in graecis autoribus.

§. XVI.

Ut intempestiuia illa ad academiam peregrinandi libido refrenari possit, multum etiam conduceat, si *nexus disciplinarum inuenibus offendatur idem idem.* Nexus adesse omnium disciplinarum eumque tenerrimum, non facile negabit quisquam. Graeci idolorum cultores hoc indicarunt, quando nouem musas a Ioue et Mnemosyne procreatrices sorores esse confinxerunt. Plutarchus idcirco litteras humaniores encyclicas sive circulares appellat. Licet enim in ambitu suo longius se diffundant, attamen in circulum semper redeunt, et ad unum tendunt finem. Et Romani cum Graecis hac in re consentiunt. De humanioribus litteris Cicero dicit: *omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, et quasi cognatione quadam inter se continentur.* Ars illa, quae latine loquendi et scribendi rationem docet, multum facit ad artem poeticam; poesis vero ad eloquentiam non parum confort. Certe Romanae eloquentiae princeps Cicero non erubuit confiteri, [¶] artem poeticam magno sibi adiumento fuisse in copiose eleganterque dicendi studio. Eloquentia vero absque doctrina est futilis loquacitas. Hinc dicendi argumenta ex aliis scientiis, sapientiae praecepsis, ex rerum gestarum historia, tum politica, tum ecclesiastica, tum litteraria, terrae orbis notitia alisque disciplinis sunt petenda. Addenda est etiam chronologia, ut artium cultor conspectum omnium temporum praeteritorum sibi quasi in tabula sistat. Geographia enim et chronologia sunt oculi historiae. Doctrina de insignibus, quam heraldicam vocant, opitalatur etiam historiae, et haec vicissim lucem affundit heraldice. Ad veritatem historiarum examinandam diadicandamque nosse debet historiae studiosus probabilitatis, gradu-

[*] In orat. pro Archia poeta c. VI.



dus, qui in logica traduntur. Quantopere sanctioris disciplinae cultori in intelligenda interpretandaque sacra scriptura historiae, geographiae, antiquitatum, linguae graecae et orientalium linguarum cognitio necessaria sit, norunt, vel me non monente, omnes. Iuris studiosus historiam statuum imperii absque historia universalis et geographia veteri non pernoscat adacurate. Si idem tractare vult ius publicum sine historiae luce: felices non faciet progressus. Iurium doctor leges in corpore iuris adeo perspicue non explicabit, si ex historia philosophica veterum iurisconsultorum dogmata et principia non perspexit. Medicinae studio commoda adferet maxima, si graecas litteras, si mathematicas disciplinas, speciatim mechanicas, hydrostaticam et hydraulicam didicit. Et sic in omnibus eruditionis partibus. Omnes inter se plus minusue conspirant ac cohaerent. Hic disciplinarum nexus cum ambitu toto in omnibus sublimiorum studiorum generibus, quae facultatum nomine vocantur, iuuenibus commonestretur idem. Si intelligent, quam spatosus sit campus eruditionis, quaenam sint propaedeumata sive praeoscenda, iustum habent argumentum, quo a nimia festinatione ad academias absterri possint. Nostrae scholae alumnis doctrinarum systema sive complexus data quavis ostenditur occasione. Data vero opera vir summe reuerendus Werner Nicolaus Ziegler ecclesiarum ac scholarum apud nos Superintendens grauissimus hoc demonstrauit, ac auditores nostros primae classis anno CIO MCCXLIII. in priuatis ac peculiaribus praelectionibus encyclopaediam docuit. Adiungebat vir doctissimus his institutionibus isagogen euangelicam in prudentiam christianam scholasticam, in scholis et academiis obseruandam exercendamque.

§. XVII.

Ad reserandum animi impetum proficisciendi ad academiam multum conferet, si adultioribus scholarum alumnis momenta aut, ut ita dicam, fragmenta ex superioribus disciplinis interaum proponuntur delibanda. Excitatibus discendi cupiditas, si, exempli gratia, prima principia ex iure naturali, ac elementa quaedam

M. 2 N. 2 A. 1000 ex

ex physica doctrina iis traduntur. Linguarum quidem studia et artes liberales in scholis inferioribus potissimum tractari debent: prouectioribus adolescentibus tamen ad euitandam nauseam ex altioribus doctrinis fragmenta quaedam tamquam cupedia praegustanda apponere iuuabitur. Peccatur in hoc saepe a multis Iohannicis ac gymnasiorum doctoribus: quia sine distinctione omnes ac singulas disciplinas altiores tractant. Quid quaeſo relinquuntur doctoribus academicis? Linguarum studium hac ratione negligitur. Multitudine obruantur. Ex omnibus aliquid et in toto nihil proficiunt. Melius foret obseruare Pliniandum illud: *non multa, sed multum.* Facile praeterea eiusmodi iuuenes ad arrogiantiam perducuntur, quia se omnia scire putant, et panoctophiam suam in academiam secum portant. Migrant enim non raro illuc, non ut discant, sed ut doceant, et lauream et gradum academicum petant.

§. XVIII. Quia, ut Iulius Caesar monet, omnes homines natura libertati student, et iuuenes in academis demum se in libertatem vindicari putant: *prouectioribus scholae alumnis paullo maior libertas concedatur.* Sensus sic academiae candidati adstiescent se ipsos regere ac legibus experiri, quicquid velint, qui status, ut Corn. Neps [*] ait, libertatis species est. Cauetur etiam hac ratione, ne feruentioris ingenii adolescentes vitae scholasticae pertaeserit non iusto: citius repagula rumpant. Probi prudentesque scholarum moderatores hoc non extendent ad procacitatem usque et effrenatam licentiam, quam etiam bonae mentis iuuenes desiderabunt numquam.

§. XIX.

Commonendi denique sunt iuuenes, ut gubernationi diuinæ se relinquant, et ad consilia sapientiorum in hac re attendant animum.

[*] Timol. c. V. §. II.

animum. Multi spe celerioris fortunae impulsi, vt supra demonstrauimus, iusto citius ad academiam migrant. Metu mortalitatis properant alii. Patroni mortem extimescunt, qui mortalitate interceptus ipsis de honoribus non posse prospicere. Sed curae diuinae eiusque benignitati homines eiusmodi videntur diffidere. Nisi superstite patrono aut parentibus desertos se ac ope destitutos fore existimant. Errant tamen turpiter. Virtus, pietas et doctrina derelictae iacent numquam. Spes Deo confisa numquam confusa fallitur; spes e diverso in hominibus posita lubrica est et fallax. Primo saepe academico anno magnus iste euergeta, in quo praecox academicus spem omnem collocauerat suam, e vita discedit. Et si post exactum curriculum academicum fuerit superstes, tamen academico opem ferre eiusque saluti prospicere nec vult saepe, nec potest. Non potest, quia ipse ex altissimo dignitatis gradu praecepitatus est. Non vult, quia animus mortalium mobilis est ac inconstans. Forsitan etiam animus patroni criminationibus calumniatoris a candidato abalienatus est. Conuincendi itaque cohortandique sunt academie candidati praeccores, ut summo omnium rerum fortunarumque dispensatori ac largitori se committant. Sic incertis et fucatis saepe pollicitationibus mortalium a recto studiorum curriculo se non abduci et nimia festinatione ad academiam se corrumphi patientur.

Haec funto, quae de remedii suspensiis in causa scholastica contra praeccores academicos pro temporis angustia in praesenti negotio, quo ad audiendam oratoriam iuuenum exercitacionem inuitamus, praefari, visum est commodum,

§. XX.

Incommode valde et a nostro instituto celebrandi festum natale celissimi Domini nostri alienum satis foret programmati argumentum; nisi consideremus, indulgentissimo patriae patri illud quodammodo fore complacitum. Sapientissime enim ac peculiari sanctione mense Decembri superioris anni ordinavit, vt

C

illustris

illustris Cancellarius et summe reuerendus Superattendens in profectus et ingenii facultates academie candidatorum, qui stipendio liberalissime sustentantur ac sufficiuntur, inquirerent in posterum semper,

§. XXI.

Iterum itaque in exedram declamatoriam producendi sunt nonnulli eruditae humanitatis cultores, quorum quidam tum aetate, tum ingenio, tum doctrina florentes bona cum venia ad academias ablegantur. Hi scholam cum sublimioribus scientiarum domiciliis sine grati animi et profectuum documento commutare noluerunt; illi in publica panegyri dicendo se exercere et cum abeuntibus coniunctim vota precationesque pro salute excellissimi Comitis ac Domini nostri eiusque celfissima Domo publice concipere nituntur.

In conspectum summorum et humanissimorum auditorum prodibunt ordine sequente:

I. Augustus Carolus Alexander de Zanthier, Brosecca - Anhaltinus, grauissimas rationes celebrandi natalem celfissimi nostri Comitis überius declarabit, simulque vota pro salute celfissimae Domus Stolberga-Wernigerodanae faciet sermone gallico.

II. Iacobus Ernestus Berniger, Wernigerodanus, de quorundam summorum principum subnato fastidio fastigii humanae felicitatis dicet stilo vernaculo.

III. Ioannes Fridericus Burmeister, Siftadio-Wernigeroda-

nigerodanus, de parsimonia aget oratione soluta, et quidem teutonica.

IV. Christianus Augustus Goldschmidt, *Wernig.* et Samuel Siegfriedus Ziegler, *Ilzenburgensis de ardea palustris* germanice *Rohrdommel*, disputabunt stilo latino

V. Iac. Ge. Julius Kiss, *Wernigerodanus*, de ritanda nimia familiaritate differet, dictione usurpus romana.

VI. Henricus Godofredus Borchert, *Wernig.*
Io. Christianus Fridericus Rabeding, *Derenb.* et
Io. Gottlieb Theodorus Iacobi, *Stapelnburgo-Wernigerodanus*, colloquium habebunt de cuncto.

VII. Io. Christianus Meier, *Indigena*, de mediocritate perorabit latine.

VIII. Ferdin. Leopoldus de Capriui, *Wernigerodanus*, recitata oratiuncula sua *de vestimento naturae per quatuor anni tempora* defendet eam contra obiectiones, quas proferet

Io. Martinus de Windheim, *Drubeca-Wernigerodanus*, cui se adiunget

Eustasius Fridericus Eisenbeil, *Hasseroda Werniger*
idem argumentum tractaturus.

IX. Christianus Henricus Runde, *VVernig. de vi-*
tuperandi libidine aget stilo latino.

X. Io. Godofredus Eggerding, *Noſtras, de ignavia*
dicet teutonico sermone.

XI. Io. Henr. Hoffmann, *Dielſdorſio. VVeimari-*
enſis, verba faciet *de recto vſu temporis matutini.*

XII. Io. Iac. Junge, *VVernig. de futilitate sermonis*
germanice differet.

XIII. Christianus Ludov. Kleeman, *VVernigero-*
danus, de fidelitate perorabit sermone patrio.

XIV. Io. Henr. Christianus de Selchow, *Kindel-*
brucca - Thuringus, laudem Dei ex viola celebrabit car-
mine teutonico.

XV. Ernestus August. Pini, *Gandefia-Brunſwicen-*
ſis, ad Iuliam Carolinam bonis auspiciis profeſturus latine ver-
ba faciet *de prudenti diffidentia.*

XVI. Frider. Werner Pini, *Gandefia-Brunſwicensis,*
ad

ad eamdem Helmstadiensem academiam consentientibus vene-
randis curatoribus, bonaque cum venia praceptorum migratu-
rus dicet *de credulitate.*

XVII. Samuel Delius, *VVernigerodanus*, cum con-
sensu summe reuerendi parentis, et cum approbatione faustis-
que comprecationibus magistrorum ad Fridericianam Erlan-
gensem abiturus differet de comperendinatoribus siue *ritanda*
procrastinatione.

XVIII. Henr. Ern. Rassmann, *Stapelnburgo. VVerni-*
gerodanus,

Henricus Ernestus Schroeder, *VVernigerodanus et*
Io, David Schütze, *VVernig. de birundinum abitu et*
reditu disceptabunt inter se lingua teutonica.

XIX. Henr. August. Kunze, *Anderbecca - Halber-*
stadiensis, per octo annos liberaliter apud nos enutritus pro-
beque edocetus rite ad altam Fridericianam Halensem abiturus
de avōdācia. s. oblectatione in se ipso aget ligato sermone.

XX. Iobus Born, *Erfordiensis*, augurato ad acrofes
sublimiores in academia percipiendas profecturus *de insom-*
niis orationem habebit, et communi omnium abeuntium no-
mine valedictionem et gratiarum actionem instituet lingua
teutonica.

XXI. Gotthilf Christianus Reccard, *VVasserlebia-*

VVernigerodanus, aget de mutatione non periculosa,
et abituris de exa^{cto} feliciter curriculo scholaftico commilito-
num nomine gratulabitur.

XXII. Io. Ge. Hurlhey, *Indigena*, *metrica et voti-*

ua oratione vota concipiet pro salute celsissimi Comitis
CHRISTIANI ERNESTI, Comitis ac Domini nostri indulgentissi-
mi pro prosperitate eius Filii haeredis celsissimi comitis, **HEN-
RICI ERNESTI**, et festiuissimi eminentissimaeque spei Ne-
potis, illustrissimi Comitis, **CHRISTIANI FRIDERICI**, comi-
tum ac Dominorum nostrorum clementissimorum.

His declamaturis iuuenibus vt summi ac honoratissimi lycei
nostrri patroni ac fautores exigui temporis impendium haud dene-
gare, eosque cras ab hora octaua in acroaterio nostro superiori be-
neuole clementerque audire velint, submisso ac humaniter roga-
mus.

Aderunt, qui rei nostrarae scholafticae fauent, et quibus per
occupationes licet, ac pro salute Augustissimi potentissimique
Borussorum **REGIS**, domini nostri clementissimi et pro prospe-
tate celsissimorum nostrorum **COMITVM** ac Dominorum,
totiusque fulgentissimae Domus perenni felicitate sincera nobis-
cum votanuncupabunt. P.P. Wernigerod. d. XX, Aprilis MDCCCL.



Yb 256

305.



78 L 12 19

X-2311255

